



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

Attilam flagellum Dei, qui cum quinquaginta millibus Hunnorum, instar turbinis, sic totam Galliam vastauit, quod vix vlla ciuitas Hunnicam rabiem subterfugerit. Sed superuenit Ætius Romanus, qui in campis Catalaunis Attilam regem vicit; vbi cæsa sunt centum octoginta quinque millia, inter quos Theodoricus rex Visigothorum. Vnde Attila cum reliquijs in Pannoniam se recepit & inde Italiam agresus, omnes penè ciuitates eius aut diruit, aut diripuit, aut incendit.

2. Belgiorum vastatio per Attilam Hunnorum regem.

Anno quadringentesimo quinquagesimo quarto sanctus Eleutherius consecratur episcopus Tornacensium, qui in suburbio resedit annis octo, Tornaci annis triginta septem, de quo Tornacenses canunt:

*Miro modo sunt conuersi
Per hunc ciues vniuersi.*

CAPVT IIII.

Clodoueus primus Francorum rex Christianus, regnauit annis triginta, obiit anno quingentesimo decimo quinto. Hunc regem S. Vedastus Catholicæ fidei firmis initiauit fundamentis, qui postmodum à beato Remigio, Remorum archiepiscopo, ordinatur episcopus, & ad prædicandum verbum vitæ Atrebatensi vrbi dirigitur, quam gubernauit annis quadraginta.

Artesj.

Childebertus Clodouei filius cum Clotario fratre regnat annis quadraginta quinque, moritur anno quingentesimo sexagesimo. Clotarius solus regnat annis quinque, moritur anno quingentesimo sexagesimo quinto.

M a Sub

CHRONICON

Sub his in Traiecto ad Mosam claret S. Domitianus episcopus, qui aliquot Galliarum synodis interfuit.

Flandri. Et in Nouiomo S. Medardus qui ex Augusta Veromanduorum, à Vuandalis & Hunnis euerfa, sedem episcopalem Nouiomum transtulit, & à morte sancti Eleutherij simul cum dicta administravit Tornacensem ecclesiam. Vnde ab eo tempore Tornacum proprio episcopo caruit; vsque ad tempora Eugenij tertij. Obijt autem Medardus anno quingentesimo quinquagesimo sexto, postquam Flandrensiū gentem ferocem, per quindecim annorum spatium, ad diuinum cultum informasset.

Chilpericus Clotarij filius regnat annis viginti moritur anno quingentesimo octuagesimo sexto. Claret Traiecti sanctus Monulphus episcopus, qui prædiorum suorum, inter quæ Dionantum, beatum Seruatium scripsit hæredem.

Clotarius secundus, Chilperici filius, regnat annis quadraginta quatuor, moritur anno sexcentesimo trigesimo.

Sub eo moritur, anno quingentesimo nonagesimo quarto, sanctus Gaugericus episcopus Cameracensis, qui episcopatu functus est annis fere quadraginta, sede episcopali ex Atrebato in Cameracum translata. Fuit in bonis operibus, & fidei prædicatione indefessus.

Eodem regnante, clarent Traiecti ad Mosam sancti episcopi Gondulphus & Perpetuus. Quibus Placentius adiicit Euegislum.

Sanctus verò Amandus, Aquitanorum ducis filius,

filius, ex Bituricensi monasterio, Apostolorum limina Romæ visit, ubi à diuo Petro admonetur, vt in Gallias prædicandi causa remeet, quas statim miraculorum & prædicationis gloria illustrabat.

CAPVT V.

DAgobertus Clotarij filius regnat annis sedecim, moritur anno sexcentesimo quadragesimo sexto.

Clodoueus secundus, eius filius, regnat annis septendecim, moritur anno sexcentesimo sexagesimo sexto, Sigeberto fratre eius regnante in Austrasia.

Clotarius tertius, Clodouei filius regnat annis tribus, moritur anno sexcentesimo sexagesimo nono.

Sub his regibus mirabiliter profecit Christiana religio apud Belgas. Imprimis Martinus primus creatur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, anno sexcentesimo quadragesimo octauo: obiit anno sexcentesimo quinquagesimo tertio, à quo multi Belgici prædicatores authoritatem prædicandi acceperunt, idemque petenti Amando plures dedit cooperatores.

Omnes Belgij diœceses habuerunt tunc præ- *Prædicatores Apostolici per Belgiam.*
sules viros planè Apostolicos, & in fidei propagatione feruentissimos.

Traiectum ad Mosam habuit sanctum Amandum, Is enim cum per Gallias miraculorum & prædicationis gratia clareret, mortuo Ioanne, qui ob mansuetudinem Agnus agnominabatur, ad regimen ecclesiæ Traiectensis coactus est à

M 3 Dago-